



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum LVII. Cyparissus puer mutatus in arborem cognominem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM LVII.

Cyparissus puer mutatus in arborem cognominem,

10. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Puerilis genius. 2. Puerilitas morum & cupiditatum. 3. Stolidus luctus. 4. Bellorum sæpe levissima causa. 5. Cypressus, symbolum mortis. 6. Ex ejus consideratione instruendi adolescententes.

**E**Rat hic oriundus ex *Cea* vel *Cæa*, *Ægei* maris insula, *Thelepi*, qui postea *Mysiæ* Rex, filius. Etiamnum puer magno ferebatur amore in cervum quendam *Nymphis* sacrum, & eleganter ab illis ornatum, nam cornua fulgebant auro, collum cingebant gemmæ, frontem argentea bulla decorabat: ex auribus uniones pendebant: nihil eò mansuetius, nihil cicuratus; cum nec ignotorum tactum ac manum reformidaret, ultro sese omnibus muscendum præbens: imprimis verò *Cyparissum* puerum sequebatur, non secus, ac catellus dominum, hic delictum suum in alia atque alia pascua præire, aquatum ducere, varios flores cornibus ejus illigare: quin etiam tergo insidere, & frenis ori inditis, quocunque vellet, super eo ferri. Hoc ejus gaudium tristis casus abruptit. Accidit enim, ut adolescens venatum exiret, pharetra succinctus & arcu. Dum feras hinc illinc investigat, fortè conspicit cervum sub arboris umbra reclinatum. Ne agnosceret amorem suum, frondes obstabant, quare vulgarem esse bestiam ratus, expedit jaculum, emittit, charissimam feram per imprudentiam configit, tanto suo dolore, ut nullum admitteret, ne à *Phœbo* quidem ipso, cui dilectus erat, solatium. *Ovidius* canit.

Ut cervum sævo morientem vulnere vidit,  
 Velle mori statuit, quæ non solatia *Phœbus*  
 Dixit? & ut leviter, pro materiæque doleret,  
 Admonuit; gemit ille tamen, munusque supremum  
 Hoc petit à superis, ut tempore lugeat omni.  
 Jamque per immensos egesto sanguine fletus,

In



In viridem verti cœperunt membra colorem:  
 Et modò qui nivea pendebant fronte capilli,  
 Horrida casaries fieri: sumptòque rigore  
 Sidereum gracili spectare cacumine cœlum.  
 Ingemuit, tristisque Deus: lugebere nobis,  
 Lugebísque alios, aderisque dolentibus, inquit.

### Ethica.

I. (a) Quid puerilius hoc puero? cervum deperibat amando: ejus funeri lacrimas etiam sanguineas, & denique vitam impendit. Agnoscas hinc, quid delectet, quid contristet puerum, nempe crepundia, ligulas, tancias, collaria aviculis, feliculis, catellis, agnellis, hinnulis circumdare, & post equitatum arundinem longam, ad cursuram etiam canes, capros, arietes frãnatos exercere: ad minima damnorum flere, ad maxima ridere. Si pomum, bracteam, pilam, cultellum, icunculam ei subducas vel auferas, auram ploratibus implere: Si libum, saccharum, bellaria ostendas, levissimo momento in lætitiã verti, Apri-li inconstantior Tullius lib. 5. de fin. Pueri, inquit, quibus rebus cum æqualibus decertant, efferunt se lætitiã: victi debilitantur, animósque demittunt. Idem Poëta Comicus observavit.

Pueri inter sese quàm pro levibus noxis iras gerunt?  
 Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri levi sententiã:  
 Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram conciverit.

Nimirum tam pueri, quàm feminae, quantò minus habent rationis & judicii, tantò impotentiùs affectibus suis aguntur: citò gestiunt gaudio; citò mœrore contrahuntur: ex uno affectu devolvuntur in alium, desultoria levitate.

### II. (b) Veteri jambo:

Amor puerilis amorum ferventissimus.

In Cyparisso apparet, qui cervum plùs quàm animam suam amavit. Quò quid magis præposterum? Sed hæc forsã condonanda Cyparisso, quia puero. Quis autem ferat barbato pueros ab affectibus suis eò dementiã rapi, ut quid cupiant, quid fugiant, quò tristentur, quò lætentur, non ad legem rationis, sed ad impetum libidinis referant.

V v

Ejusmo-

(a) Puerilis genius. (b) Puerilium morum & cupiditatum.



Ejusmodi pueros, ætate grandævos, sapientiã imberbes describit S. Chrystostomus hom. 4. in epistol. 1. ad Corinth. ut pueri, inquit, nullius utilitatis curam suscipiunt; ita quidam semper volunt, humique serpunt & reptant, nempe terrena affectant. Pueri quando latronem viderint, quæ sunt intus, auferentem, non solum non prohibent, sed etiam arrident infidiatori. Sin' autem calathulum aut sistrum abstuleris, aut aliquid aliud ludicrum, indignantur & ægrè ferunt, se dilacerant, & solum pulsant. Ita etiam quidam, videntes diabolum paterna omnia auferentem rident; si quis autem possessiones, aut divitias, aut puerile aliquid abstulerit, se discerpunt. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* psal. 93. & 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus. Usquequò parvuli diligitis infantiam?* Proverb. 1. Hæc aureus O-rator. Hoc ipsum exprobrat Seneca gentilis, epist. 4. Adhuc pueritia in nobis, & quod est gravius, puerilitas remanet. Et hoc quidem pejus est, quòd auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. Et lib. de Constant. c. 12. Quibusdam etiam post juventam, canòsque puerilitas est; à pueris magnitudine tantum formæque corporis differunt: ceterum non minus *vagi, incertique*, voluptatem sine delectu appetentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti. Non ideo quicquam inter illos, pueròsque interesse quis dixerit, quod illis talorum, nucumque & æris minuti avaritia est; his auri, argentique, & urbium: quod illi inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fascèsque, ac tribunal imitantur; hi eadem in campo, foroque, & in curia ludunt. Hæc Romanus Philosophus, qui sectatores pravæ cupiditatis *Vagos & incertos* vocat, quorum imago Cyparissus est, in volatico cervo prata persulfans.

III. (c) Quis autem memoret, quàm multos frustrata spes, lucri, honoris, voluptatis, luctu & mœrore conficiat? quot lacrimas jactura rerum vilissimarum exprimat; æternæ salutis nulla, aut valde exigua cura tangat? Legas Epitaphia, in *Issam* Publii catellam, Catulli *passerem*, *Psetacum* Papinii, *Stellæ Columbam*, Flacci *Glaucopodem*, Alexandri *Bucephalum*, Caligulæ *Incitatum*: in feles, Simios, sciuros, & alias, huius generis mortalium, delicias. Veris fletibus lugentur bestiarum funera, hominum non nisi fictis. Femina præsertim sic oculos erudiere suos; de quibus Juvenalis lib. 2. Sat. 6.

(c) *Si ledus luctus,*

----- Simi-



----- Similis si permutatio detur,  
Morte viri cupiant animam fervare catellæ.

Fuit, quæ feli suæ testamento legavit quingentos philippeos, videlicet, ut honestâ semper mensâ frueretur. Drex. in Prodrum. c. 3. §. 10. Digna sanè pietas, cui procedant in funus musculi, timore saturi hostis expediti.

IV. (d) Quid autem miramur, cervum casu trajectum, tantum in unius pueri pectore Iuctum excitasse, cum atrocibus præliis, densatis vulneribus propter cervum *Sylvia*, cuiusdam rusticanae puellæ, ab Afcanio puero Æneæ filio, in venatione intetemptum, Latinorum & Trojanorum acies concurrerint? Quid decantatius, quàm Tragœdia Iphigeniæ? nam propter illam mactatam, mactatus quoque est Agamemnon à conjugè Clytemnestra, & hæc ab Oreste filio, in ultionem patris. Hujus verò errores & insanias quis referat? atqui omnia hæc tragica spectacula unicâ tantum, & levi scintilla inflammata sunt. Agamemnon ludens in Dianæ luco, fortè cervam, ei Deæ sacrum, interfecit. Hinc illæ lacrimæ quas narrat *Electra* in tragœdia sui nominis apud Sophoclem. Ecce quàm parva res mortales ad ferram & flammam provocet; adedò, quod Seneca conqueritur, *puerilitas in viris est.*

V. (e) Cyparissus in cupressum arborem mutatus est. Est hæc arbor feralis, & mortuorum sepulchris destinata: memoriam mortis etiam adolescentulis ingerit. *Serius* aut *citius* ad eandem properandum est metam juvenique, senique. Cupressus excisa non repullulat: est enim semel calcanda via lethi; nec conceditur reditus. Horat. lib. 2. Od. 14.

----- neque harum, quas colis, arborum

Te, præter invisas cupressos

Ulla brevem dominum sequetur.

Cupressus quamvis in altum cacuminetur; est tamen sine fructu: ut scias mortuis nihil prodesse sublime stemma, nisi virtutis fructus accedat. Possis etiam in contrarium vertere: Cupressus cariem non sentit, & erecto in cœlum vertice tendit: nam virtus post funera vivit, & æternam sui memoriam relinquit.

VI. (f) Alia quoque doctrina, præsertim adolescentibus, est è Cypresso decerpenda. Ecclesiastici 24. Sapientia comparatur Cypresso. Et quasi cypressus in monte Sion. Cur? 1. Ratione pulchritudinis: est enim ei coma rotunda, & in conum cuspidata. Unde decus hortorum

V v 2

Cypa-

(d) Bellorum sæpe levissima causa. (e) Cypressus Symbolum & memoria mortis.

(f) Instructio adolescentium ex consideratione Cypressi.



Cyparissus. Adolescentem Sapientiæ amantem, antè omnia mente in cœlum erecta, & ad ætherios influxus anhelantem esse oportet. 2. Cupressus pro foliis habet frondes, eleganter in acumen surgentes. Adolescentem Sapientiæ studiosum non luxuriat multorum verborum, ceu foliorum ambitu; non linguâ, sed ingenio acuto se super æquales attollit. 3. Cupressus semper viret, nec temerè rimam aperit, ullave parte fatiscit. Unde Plinius lib. 16. c. 24. Cariem, ait, vetustatè que non sentit Cupressus. Quam ob causam valvæ templi Ephesinæ Dianæ, fuerunt Cupressinæ; eodem testante. Pari modo Sapientiæ, virtutisque decus perennat; & adolescens earum desiderio tactus, laudem ac memoriam suam æternat. 4. Cupressi frondes tritæ, medentur serpentum ictibus. Sapientiæ adipiscendæ cupidus adolescens, facillè spernit, quidquid veneni vel mala voluptas, vel prava societas afflare potest. 5. Cupressus succisa non recrescit: unde, quod diximus, symbolum est mortis & funeris. Hinc gentiles eam *Diti*, inferorum deo, dicarunt. Quocirca Suetonius in Vespasiano c. 5. Hoc ei omen præsagium obtigisse narrat: Arbor, inquit, Cupressus in agro avito, sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus, atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. *Hoc enim*, inquit Tacitus, *presagium fuit grande, prosperumque, assensu aruspicum, & summa claritas juveni admodum, Vespasiano promissa.* Adolescens sapiens, mortis memoriam adhibet contra vitiorum cariem, seu putredinem: & quemadmodum odorata Cupressus graveolentiam cadaverum reprimat; sic ille foetentis nauseam libidinis amore, odorè que Castitatis repellit. 6. Decorum simulacra, & heroum sarcophagi olim è cupresso fiebant in perpetuitatis argumentum. Adolescens virtutis, doctrinæque studiis deditus eodem demum evadit, ut cœlestium, magnorumque virorum honoribus, dignus habeatur: itaque fit, ut quæ funesta dicebatur, & tumultos tectura, cupressus

More triumphalis circumdet tempora lauri.



SYM.